



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De coelesti Iersulaem, & gloia Sanctorum, cap. 59.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

capita vestra, id est, exhilarate corda, quia appropin-
quat redemptio vestra.

C A P V T L I X .

Festinemus ergo ingredi in ciuitatem illam, in
qua nulli sunt terræmotus, nulli gemitus vel
suspiria, sed Dei laus assidua; in qua nulla peri-
cula, sed securitas firma; in qua non est mortalitas, sed
vita æterna; in qua rancor nullus, discordia nulla, sed
pax plena; in qua nullus esurit, nullus sitit, quia satie-
tas illic perfectissima. Quatuor hæc bona in tribus
versiculis Propheta comprehendit, dicens: Lauda Ie-
rusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, lauda
corde, lauda ore. *Quare?* Quoniam confortauit se-
ras portarum tuarum: ecce securitas. Benedixit fi-
liis tuis in té: ecce immortalitas. In dextera illius,
longitudo dierum. Qui posuit tñfines tuos pacem: ec-
ce pax & concordia. Et adipe frumenti satiat te: ecce
satietas. De gaudio ciuium huius beatæ ciuitatis in
alio loco idem dicit Psalmista; Sicut lætantium om-
nium habitatio est in té. Comprehendit breuiter,
quod longis sermonibus explicari non poterat. Non
enim erit lætitia qualis hñc agitur, ybi de filiorum sus-
ceptione lætamur, vel de munere diuinarum vel bo-
norum gratulamur. Quod igitur explicari non po-
tuit, sumpta qualicunque similitudine, dixit vt po-
tuit: Sicut lætantium, inquit, id est, verè lætantium,
vt sit expressio veritatis, & non nota similitudinis, vt
ibi: Tanquam vnigeniti à Patre, id est, veri vnigeniti. *Ioan. x.*
Istorum lætantium septiformis est actio: viuunt vita
infinibili, sapiunt arcana Dei, amant Deum & proxi-
mum, laudant quod oculus non vidit, quia sunt inui-
sibia; & quod auris non audiuit, quia sunt in pace
quietissima; nec in cor hominis ascendit, quia sunt in-
comprehensibilia. Gaudent gaudio ineffabili, volu-
cres sunt & securi. Beati sunt illi, qui illuc ducente
Domino perueniunt, ybi omnis cogitatio vincitur, &
omnia desideria superantur, ybi talis felicitas accipi-
tur, quæ nulla contrarietate perdatur. **A P O L L O-**
N I V S: Miseri sunt, qui ad tantam lætitiam non su-

*De gau-
dio bea-
torum.*

Ps. 147.

Prov. 3.

Psalm. 86.

Ioan. x.

1. Cor. 2.

A a a s spi-



746 DE POEN. ET GLOR. MOR. LIB. XII.

Ipirant. CÆSARIVS : Quia diagolo nostro finis impe-
nendus est, simul Christum, qui omnis consummatio-
nis finis est, deprecemur, ut ea quæ tua interrogatio-
ne , siue mea responsione , confecta sunt, legentibus,
necnon & audientibus, ad meritum proficiant, ut sic
ædificatio proximorum nostrorum fructus fiat labo-
rum. Quod nobis præstare dignetur ipse, de quo lo-
quimur, Dominus noster Iesus Christus mundi redé-
ptor, electorum confrater, rex angelorum , &, ut bre-
uiter concludam, vita, merces, & lœtitia omnium Sa-
ctorum , cui cū Patre & Spiritu sancto sit laus, honor,
& imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

FINIS LIBRI XII.

IN

